

Q. N.
3786.

2728

(X1877355)

II i
2355

HISTORICA NARRATIO,
DE REBUS IN
BOHEMIA INTER PROXIMA RE-
GNI COMITIA, IN NEGOTIO RE-
LIGIONIS, GESTIS:

QUA, A VIRO BONO ET FIDE DI-
GNO, QUI ACTIONIBUS ISTIS IPSE INTER
fuit, ea commemorantur, quæ in singulos penè dies, à Comiti-
orum initio, ad id usq, tempus gesta sunt, dum à Serenif-
simo Bohemorum Rege,

Primò liberum Religionis Evangelicæ exer-
citium,

Deinde Consistorii Pragensis reformatio,

Deniq; Academiæ ejusdem constitutio,

ORDINVM TRIVM REGNI ARBI-
trio, clementissimè permetteretur.



ANNO M. DC. IX.

E 22

137



N
SO
C

D

nos
Ca
mu
atq
Ev
ijde
lère
vi
pie
E
ab
pit
Cæ
tia
dot
one
ut p
rep
per



3.
VERA ET VERE NOTABILIA
NOVA BOHEMICA;
 SCRIPTA AB AMICO AD AMICUM, DE
 COMITIIS ANNI MDCIX. DISSIPATIS; ET DE
 CONGREGATIONE STATUUM EVANGELI-
 corum in Curiâ Novo Pragensi; publicatoq; no-
 vo Cæsaris Mandato, ad nova Comitiaz
 Religionis causâ indicta.

DE Comitiaz Bohemicis, hoc Anno M. DC. IX. Religionis cau-
 sâ, XXVIII. Januarij inchoatis, & 1. Aprilis dissipatis, ex alijs
 (uti puto) prolixè cognovisti; tamen & ex me, paucis hac cog-
 noscito; cum auctoritate testis horum omnium fuerim. Nihil certè Romano-
 Catholici tunc intentatum reliquerunt, quo Status Evangelicos, & in sum-
 mum odium apud Imperatorem inducere, & inter se separare & disjungere;
 atq; ita omnia illa, quæ anno elapso in publicis comitijs Imperator Statibus
 Evangelicis in Religionis negotio promiserat, irrita facere possent. At cum
 ijdem non ausi sint cum Statibus Evangelicis verbo Dei congregari: protu-
 lere in medium, contra Confessionem Statuum, abrogata quadam comitiaz
 victiq; cum aliorum comitiorum auctoritate, tum Cæsaris Maximiliani,
 pia & sancta memoria, a securatione persuaserunt Imperatori, Iura Regni
 & Juramentum Regis extendi ad illos tantum sub utrâq; quorum Sacerdotes
 ab Archiepiscopo Pragensi ordinantur, & qui Romanum pontificem pro ca-
 pite Ecclesie agnoscunt, atq; in omnibus cum eo consentiunt, excepto calicis in
 Cœnâ Domini usu; qui tamen usus ijdem, veluti per interim & conniven-
 tiam, ad tempus concessus sit. Hinc Juramentum, quo Consistoriani Sacer-
 dotes Pragenses Archiepiscopo obligantur, prolatum. Hanc interpretati-
 onem Juris provincialis, & Juramentis Regis, cum agrè ferrent Bohemi;
 ut pote cum nihil horum, neq; in Jure provinciali, neq; in Juramento Regis,
 reperiatur: prolatis suis evidentissimis Imperatori documentis, missis ad Im-
 peratorem delectis viris, & verba faciente ex præscripto, linguâ Germanicâ,
 A 2 Comite

Comite Schlikio Ioachimo-Andreâ, petierunt: ne sua Cas. Maj. fidem adhibeat ijs, qui contra Status Evangelicos ita iniquè, & iura provincialia, & Iuramentum Regis, interpretantur. Iuramentum enim Regis & subditorum esse res reciprocas: ruente uno, & membris & capiti (quod Deus avertat) metuendam ruïnâ. Verùm Imperatore remittente Status ad supremos Religionis Pontificia & Regni officiales: cùm ne ab hisce quidem quicquam responsi categorici extorquere potuissent: re deliberatâ, in quanto periculo vitæ, honoris & bonorum, cum uxoribus, prole, & subditis, versentur, & quasi pro proscriptis habeantur: Status Evangelici protestationem in publicis comitijs exhibent, & legere curant: in eâq; diem sibi in curiâ Novo-Pragensi IV. Maij nominant, perorante Bohemo Barone Domino Wenceslao Budowetio: nempe, hanc protestationem factam ob bonum Cesaris, & publicam totius Regni tranquillitatem; tum ad informandum meliùs Regem, tum providendum ne Rex & Regnum ob iniquos illos Consiliarios in extremum periculum conijciantur. Quare solutis comitijs, Status Evangelici mirâ celeritate Legatos suos ad Regem Hungaria, & Electores atq; Principes Imperij, ablegant: ob quod à bonis laudantur, ab alijs rebellionis insimulantur. Re ad Imperatorem delatâ, optimus Imperator conquestus esse dicitur, de inconsideratis suorum Consiliariorum consilijs. jubet itaq; protuendâ suâ auctoritate, comitia publica, ad concludendum illum Religionis articulum, in Arce Pragensi, per Mandata conscribi: & quidem ad eum ipsum diem, quem sibi Status Evangelici in curiâ Novo-Pragensi dixerent, quæ sanè consilia salutaria erant: quibus Status etiam obtemperassent. Mandata quoq; jam erant in promptu. Verùm inquieta ingenia, quibus neq; Imperatoris, nec Regni Status cura fuit, sepositis hisce Mandatis, alia fabricârunt: gravissimè in istis Mandatis culpando Status Evangelicos; quòd diem sibi in curiâ Novo-Pragensi dixerint: Id enim nihil aliud esse, quàm contra Regalia & Regis potestatem insurgere: quare ut abstineant ab illo conventu, Quo Mandato publicato, dici non potest, quanto opere vulnera omnium statuum recruduerint. Etenim satis antè eo ipso sese vulneratos dicebant, dum responsum nullum illis datum, an ij Status, sub utrâq; qui Bohemica confessioni, cùm Augustanâ consentienti, in numero eorum sub

utrâq;

utraq; habendi, ad quos Jura provincialia & Juramentum Regis pertine-
ant & nunc verò insuper crimine laesae Majestatis notari. Quare, ad oc-
cludendum os adversarijs, & ad demonstrandam erga Caesar. Majestatem
obedientiam, non convenerunt ad prædictum diem in curia Novo-Pragensi,
sed in Palatio Arcu; submisit Imperatorem petentes, monstrari sibi cum
in Arce, ad Apologiam illi conscribendam, & providendum ad erigendam
legitimam contra inquieta ingenia defensionem; audiendosq; Legatos suos,
qui à Rege Hungaria, & Electoribus atq; Principibus Imperij, cum inter-
cessionibus ad Imperatorem reversi sint. Quod cum illis denegatum:
Status Evangelici eâ ipsâ horâ, quâ id ipsum in Cancellariâ cognoverunt,
magnâ festinatione & Maximâ frequentiâ, qualis certè seculo nostro con-
specta non fuit, veluti ex equo Trojano, ad curiam Novo-Pragensem sese
conferunt: ac, quia jam dies declinabat, horam sibi septimam matutinam
dicunt. Ubi cùm comparuissent, expositâ per Dominum Wenceslaum
Budowecium rei gravitate, & periculis imminentibus, factâq; proluxa ad
preces sanctas & ardentes, & fiduciam in Deum, adhortatione; hymnum
Bohemicum, Veni sancte Spiritus &c. tanto Zelo cecinere, ut plerique eo-
rum lachrymas effuderint. Ac non modò illi canebant, qui in curia
erant: sed etiam multitudo ingens in foro consistens. Hac dum fiunt,
spargitur rumor; armatum militem, sclopetis, quæ Musqueten nominant,
instructissimum, properare in curiam, ad delendos ad internecionem Status.
Hic hic mirum quiddam videre licuit, certè nullus in Statibus timor con-
spectus: sed protinus omnes prorumpentes in atrium, equos suos conscende-
re: cohortantes sese ad fortiter obsistendum adversarijs: causam Dei esse,
Deum illius patrocinium suscepturum. At cùm equites, quorum
1200. & pedites sclopetarij, quorum 300. erant (excepta communi plebe do-
mesticis armis, gladijs, hastis, baculis, & saxis accurrente, cujus numerus ul-
tra decem millia excrevit) in ordinem redacti essent: lucentem absque
nebulâ solem pomeridianum iris circulo cinxit. quo conspecto, multi id ipsum
pro præsentî providentiæ Divinæ signo judicarunt: cohortantes alij alios,
ad magnanimitatem, & fiduciam in Deum: delectisque inter se Seniori-
bus jubent illos curiam conscendere, ad deliberandas res necessarias; interea

6

se esse vigilaturos, Vixquē ingressis delectis in Curiam, adveniunt nonnulli ex Arce Pragensi, nunciantes, Casarem mittere ad Status Legatos suos; modò tutò comparere queant. Venerunt itaque supremi officiales Regni Romano-catholici, excepto supremo Cancellario; perorante supremo Burggravio Domino Adamo de Sternberg. qui prolixâ oratione, non sinè animi consternatione, conspectâ tantâ procerum & plebis multitudine, ordinequē equestrium & pedestrium benè disposito, & murmure multorum audito, quasi tremebundus perorabat; ajens Cas. Maj. mirari, unde hic rumor percrebuerit; cum non modò id propositi Cas. Maj. non fuerit; sed ne in mentem quidem ei venerit; quin potius Casaream Majestatem omnes Status Evangelicos, hic in Curia Novo-Pragensi congregatos, pro suis dilectis & fidelibus subditis agnoscere; ut, quemadmodum Status & ordines Regi suo fidelitate obstricti sunt; ita quoq; Cas. Maj. statibus reciprocè eadem fidelitate obligatam, & intra breve spacium, ad finiendum negotium Religionis, comitia publicaturam. His auditis Status paulisper recessere, ac deliberatione habitâ, per Dn. Wencesl. à Budowetz responsum dedere. Primò, submissè gratias agentes Cas. Maj. ut potè de quâ eiusmodi quippiam nunquam cogitarint; verùm quicquid hætenus aliter cum Statibus, quàm decuerat, gestum fuit, id nonnullis malis politicis consiliarijs imputandum; qui sub prætextu propagandæ Catholicæ Religionis jam nonnullis Regnis & provincijs Imperatorem privârunt & ex hoc regno quoque per dissidia ordinum extrudere tentant; Hos, hos, Status Evangelicos Casareæ Maj. brevi patefacturos. Quod autem ad comitia publicanda attinet, petere Status Regni, id ut intra triduum fiat; ne mora, ob inquieta ingenia, & Cas. Maj. & Statibus, periculum aliquod creet. Ita discedentibus Casareis Legatis, Ivis iterum solem cinxit; Statusq; curiam ingressi, post colloquia inter se habita, & cantatis hymnis, & precatatione factâ discesserunt; sole iterum tertio circulo Iridis obducto. quod certè manifestissimum signum præsentia Dei fuit, populo suo submissè eum querenti præsentis, & solis justitiæ, Christi, fadere misericordia Dei circumdati, lucentis, qui dies fuit nona Maij.

Sequente verò septimanâ, auditi fuere Legati Statuum, reversi à Rege Hungariae, & Electoribus atq; Principibus Imperij; & tractatum fuit de die

die ad comitia promulgandâ. Interea hinc inde rumusculi, pargebantur; Collegia Jesuitarum, & Monasteria Monachorum, plena instructissimo milite esse: In Curia quoq; Vetero-Pragensi quadringentos sclopetarios, ab Heydelio Primate Apostatâ, conduci & armari. Hinc noctu clamor in plateis factus; sclopetarios illos primatis, nonnullos primariorum civium dormientes inopinatò aggressuros. Quare Status, collectis, subito circiter 500. Equitibus, ad Curiam advolant: sclopetarios nonnullos conductos deprehendunt: arma illis auferunt; reliquis fugâ sibi, projectis armis, consulentibus. Hac re cognitâ, Status legatos suos ad supremum Aulae Caesaris cubiculariû, Dominum Pruskowski mittunt: inter quos quoque Dominus Wenceslaus Budowetz fuerat. qui lautissimo prandio excepti, & nomine Casareæ Maj. & Statibus & illis summa clementia delata, & promissa facta de puniendis taliu molitionum authoribus. At cum diutiùs detenti essent Legati statuum, nescio qui falsus rumor sparsus fuit, Dominum Budowetz in vincula coniectum. Ex quorumore falso mirâ celeritate omnes equos conscendere, alij accurrere cœperunt, ad eundem ex vinculis liberandum. Verim illo sano & incolumi cum ceteris redeunte, & referente quàm clementissimè Cas. Maj. erga Status affecta sit, ita ut Status brevi, non modò Regem, sed & Patrem suum sint suam Majestatem agniture: tumultus ille dissipatus est. Verùm hac ipsâ die, noctu iterum rumor increbuit, capitaneum Monsieur Rameè, instrumentum illud, quod Petardam vocant, curâsse sibi preparari, forsan ad invadendas nonnullorum primatum aedes. Hinc vicissim in urbe mirificè noctu tumultuatum, collocatisquè hinc indè præsijs, manè conquesti sunt Status coram supremis officialibus Regni Romano Catholicis, ad inhibendos ejusmodi conatus: Se certos esse, si hæc ita sint, prout narrantur, ea non consensu Imperatoris, sed per inquieta ingenia, quæ in turbidis aquis piscari cupiant, proficisci. Fuit itaque illa septimana tota inquieta, & plena periculi. Plebs enim communis commota, optabat prævenire pericula, quàm ab illis præveniri: quæ plebs nisi cohibita fuisset consilijs seniorû & armatis Statibus, metuendum erat, ne collegia Jesuitarum primò pœnas darent excitatorum horum tumultuum;

Quare

Re-
fuit de
die

Quare sequente septimanâ, coëuntibus ex utraq; parte Legatis, res pacificè
 geri cepta est: Mandatumq; Caesaris, abolens prius edictum, publicatum est
 in curiâ Novo-Pragensi; summâ cum omnium exultatione: atq; eâdem
 die auditi ab Imperatore Persarum Legati. Ea q; ipsa die, post publica-
 tum Caesaris Mandatum, & proclamata Regni comitia, ad concludendum
 illum Religionis articulum, Status, colaudato Deo, oratione per Dominum
 Budowetz habitâ, multisq; Psalmis & hymnis, tam Bohemicis quàm Ger-
 manicis, decantatis, & habitis sanctis & demissis precibus, curiam illam de-
 reliquere. Summa Mandati Casarei hæc est: Cæs. Majestatem, cogni-
 tâ Statuum Evangelicorum apologiâ, publicatum suum Mandatû abroga-
 re; & hoc novo Mandato omnes Status Evangelicos, qui confessioni illi Bo-
 hemicæ addicti sunt, pro fidelibus & dilectis suis subditis habere, ad quos
 Jura provincialia, & Juramentum Regis æquè, uti ad alios omnes Status
 Regni extenditur, pertinent; habereq; omnes Status excusatos, si quidem
 conventum illum in curiâ Novo-Pragensi, ob bonum suæ Majestatis & Res
 Regni huius indixerint; eos nihil contra suam Majestatem peccasse. Qua-
 re suam Majestatem diem celebrandis comitijs publicis, ad finiendum illum
 Articulum Religionis, & alia publica gravamina, 25. Maj in Arce Pra-
 gensi nominare; cum hac adjectione, ut Status tranquille & tuto ad comi-
 tia veniant, nullumq; externum militem conducant; suam quoq; Maj-
 estatem esse, ut miles aliquis externus in hoc Regnum veniat.

Toto autem illo tempore congregationis Statuum in curiâ illâ Novo-
 Pragensi, congressus ibi visi sunt similes pulcherimæ Ecclesiæ Dei, quæ labo-
 res suos semper à psalmis & hymnis, tum Bohemicis tum Germanicis, incho-
 abat, & eosdem iisdem, conjunctis sanctis precibus, finiebat: adhortatione
 semper ad universum cætum per Dominum Budowetz præeunte, ad pieta-
 tem, sobrietatem, vigilantiam, constantiam pro veritate DEI, & salute
 Imperatoris Regniq; & singulorum tuendâ & conservandâ, & removen-
 dis à rerum gubernaculis malis consiliarijs, adeo ut similis zelus Statuum &
 populi Dei à multis seculis, forsân à temporibus Hussij, visus in hoc Regno
 Bohemiæ non sit. Et hæc breviter ad te scripta sunt: siquidem fe-
 stinante tabellario plura scribere non licuit, nec dubito, quin Bohemi ipsi,
 qui

9
qui omnia, quæ singulis diebus, gesta sunt, diligenter consignarunt, eadem aliquando cum Ecclesiâ Dei sint communicaturi.

Dominus Deus augeat & conservez hunc zelum populi sui, ad propagationem veritatis suæ divinæ, & multorum salutem! AMEN.

DE COMITIIS PRAGENSIBUS,
XXV. MAII PRAGÆ INCHOATIS, VERA,
SUCCINCTA ET BREVIS RELATIO, FACTA
ab homine fide dignissimo, & qui actionibus
istis omnibus interfuit,



E congregatione Statuum Evangelicorum in curiâ Novo-Pragensi, quæ ad te scripsi, puto jam pridem tibi innotuisse. Nunc paucis percipe, quid inchoatis comitijs Pragensibus actum sit.

Convenere ordines omnes XXV, Maij in arce Pragensi, in loco publico comitijs destinato: ubi hac die & sequenti, dilatio propositionis Cesareæ publicandæ facta, quæ demum XXVII. Maij facta. In quâ Cesar promittit, vigore mandati sui publicati, articulum de Religione, præ omnibus alijs, & tractandum, & finiendum. Hoc facto, contributiones magnæ & summa à Statibus postulatae sunt. Quâ propositione perlectâ, sequenti die 28. Maij soli Status Evangelici, in loco consueto publico, maximo numero coeunt, & adhortatione per Dominum Wenceslaum Budowetz, Baronem à Budowa, ad preces factâ, omnes genibus flexis, suas deliberationes comitorum a precibus sanctis inchoant. Sequenti die XXIIX. Maij, oblatus est libellus supplex Cesareæ Majestati: secundum quem Dominus Joachimus-Andreas, Comes à Schlik, linguâ germanicâ, in præsentia delectorum a Statibus, peroravit: gratias agendo pro publicato illo Cesaris XX. Maij mandato, (de quo nuper ad te scripsi) cum hac submissâ petitione, ut Cesar, vigore hujus mandati, Confessionem Bohemicam illi oblatam confirmet: Consistorium & Academiam Pragensem, quæ utraq; semper ad Status Evangelicos ab Hussij temporibus pertinere, ijs administranda & regenda tradat. Sequenti die 30. Maij, Leopoldus Archidux Austria, Passaviensis Episcopus, Pragam venit: non sine suspitione persuadendi

B

dendi Imperatoris, ne quid Statibus Evangelicis, in negotio Religionis concederet, Datum itaq; à Cesare Statibus responsum, 1. Junij: Suam Majestatem cupere scire; 1. an Status Evangelici omnes in unâ religione consentiant. 2. Quem ordinem, & quas ceremonias sint servaturi. 3. Quae gravamina publica proposituri. Hæc dum publicè leguntur; accessere complures Sacerdotes Pragenses, antea Consistorio & obedientia Archiepiscopi addicti: qui collaudata Confessione Bohemicâ & conquesti de jugo pontificio, quo per vim premerentur; petierunt se in tutelam Statuum Evangelicorum recipi. Quorum deinde numerus adeò auctus est, ut duo tantum remanserint, una cùm Administratore, à Cancellario Popelio promoti; viri mala famæ & vitæ pessimæ, magis Epicureismum & atheismum sub pallio Christi, quam Christianismum profitentes. Deinde Status Evangelici, concepto responso, quod Cesari dandum erat, & impetratâ à Cæsare 3. Junij audientiâ; id ipsum Cesari in scripto per delegatos suos, loquente linguâ germanicâ Domino Comite Schlikio, obtulere: Nimirum, Status mirari, à quo Suae Majestati delati sint, ac si in Religione non consentirent: si quidem toties jam hæc questio illis obiecta, sufficienter sit ab illis soluta, quod Confessionem illi Bohemicâ, Cæs. Majestati oblata, omnes addicti sint, & doctrinam in illâ comprehensam profiteantur, & constanter profiteri unanimi consensu, Deo juvante, decreverint. Quod verò ad ordinem & Ceremonias attinet, quales sint servaturi: id Status Evangelicos, secundum Verbum Dei & hanc Confessionem suam ex verbo Dei desumptam, ubi Consistorium & Academia illis reddita fuerint, erecto sancto & ad publicam tranquillitatem pertinente ordine, administraturos. Publica quoq; gravamina politica, ubi articulus Religionis finietur, proposituros.

Die quarto Junij, Status Evangelici, per Dn. à Budowa, coram Statibus Romano Catholicis graviter conquesti sunt de ejusmodi dilationibus, & non necessarijs questionibus: id enim ad nihil aliud spectare, quàm ut Status Evangelici diuturnis hic Fraga sumptibus enerventur. Data itaq; à Cæsare 5. Junij resolutio: Suam Majestatem libertatem Religionis Evangelicis Statibus ita concedere, prout tempore Ferdinandi & Maximiliani Imperatoris & tempore administrationis Suae Majestatis fuerit. Quâ resolutione auditâ, ut pote comitibus anni elapsi, & mandato Cæsareo 20. Maii publicatos

blicato, ex diametro contrariâ: dici non potest, quanto per à Statibus, à sum-
 mis usq. ad imos murmuratum fuerit: dicentibus, hanc resolutionem Cæsa-
 ri à summis inimicis Statuum Evangelicorum persuasam: ut qui, revocantes
 ad precedente & presentes gubernationes Regum in negotio Religionis, ex
 illis non mel sed sel decerpere consueverint. Imperatorem enim Ferdinan-
 dum, potentiâ Caroli V. fulcitum, multis ex Statibus bona, ob defensionem
 religionis eripuisse, nonnullos capite plexisse. Sub Maximiliano verò Im-
 peratore, sanctæ & laudatissimæ memoria Rege, licet asscuratio libertatis
 Religionis, & Confessionis Bohemica facta sit: tamen, illo Ratis-
 bonæ Anno 1575, in comitijs publicis, absque spe recuperandæ valetudinis de-
 cumbente, mandata asscurationi illi penitus contraria, & procul dubio ipso
 inscio, prædiere. Sub hoc quoq. Cæsare Rudolpho, Cancellariam Bohe-
 micam, præsertim abhinc paucis annis, sub moderno supremo Cancellario Po-
 pelio magis Consistorium, quam Cancellariam fuisse. Hinc, ob assidua ma-
 data, ex eadem contra Evangelicos prædeuntia, Cæsarem Transylvaniam,
 Walachiam Hungariam, Austriam & Moraviam, amisisse. Quare Sta-
 tus cupere ab Imperatore, non dubiam; sed expressam resolutionem.

Hinc delectæ certæ personæ, ad conscribendum Cæsari responsum: eod. q.
 die Status Evangelici, ad vocatis ad se Romano-Catholicis, præcipue ex Dr.
 Burggravio, & alijs supremis officialibus Regni, quæsi verunt; an comitijs
 anni elapsi, quæ Imperatoris consensu tam à Romano-Catholicis, quam ab
 Evangelicis, conclusa fuere, & mandato Imperatoris ab illis deliberata & con-
 clusa, sint satisfacturi & si quis Status Evangelicos, contra hæc comitia &
 mandatum Cæsaris, sit in exercitio Religionis impediturus, aut hostiliter ali-
 quid, sive palam, sive clam, contra illos suscepturus: an, vigore constitutio-
 num Regni, cum & ejus assecclas, pro publicis Regni hostibus sint declaraturi
 & unanimi consensu auxiliante Deo, armis aggressuri. Ad quæ respondit su-
 premus Burggravius: excipiendum esse Imperatorem. Ad quæ rursum
 Dn de Budowa est prolocutus, Suam Majestatem semper exceptam fuisse,
 id quod ex omnibus supplicibus libellis appareat, semperq. excipi solamq. cul-
 pam dari nonnullis Ecclesiasticis & Politicis Romano-Catholicis, inquietis-
 simis & perniciosissimis ingenijs, quæ & Cæsari, & Regno huic, & omnia-
 bus incolis male cupiant, & externa auxilia, ad opprimendos omnes, se

autem evehendos, huc adducere forsitan conentur. Quare si quis, etiam nomine & sub pallio Imperatoris, aliquid eiusmodi contra Status Evangelicostentare vellet, an etiam contra hunc Romano Catholici sint cum Evangelicis arma sumpturi. Status enim Evangelicos id sanctè & categoricè promittere, si quis Romano-Catholicos in exercitio Religionis ipsorum impedire, multò verò magis si vi illos aggredi vellet, Status Evangelicos illos communibus viribus defensuros. Id ut & illi expressè, absque omnibus ambagibus, & dubijs conditionibus, non egrediendo hinc, promittant: quò Status Evangelici sciant, an Romano-Catholicis sit cordi, iura Regni, Comititia anni elapsi, & mandatum Cesaris ratum habere; & an illos pro amicis, an verò pro inimicis & hostibus suis, sint habituri. Vbi post multas tergiversationes, & varia effugia, urgente, nomine Statuum Evangelicorum, Dn. à Budowa categoricum responsum, quod universa communitas magno cum applausu, intermixtis etiam comminationibus, collaudabat & comprobabat: Romano-Catholicis, suo & aliorum nomine, Cui in Comitijs juris est) id-ipsum promisere.

Deinde quesitum ab illis: an illorum consilio resolutio illa Cesaris facta sit? Quod cum presente supremo Cancellario negassent: Dn. à Budowa Cancellarium allocutus est; An ipso sciente & consulente talis resolutio prodierit: Cui ille respondit: Resolutionem sibi à Cesare oblatam, ex qua se intellexisse, quid contineret. Sed urfit Dn. à Budowa: Status Evangelicos non querere, à quo ille resolutionem acceperit; sed an in deliberatione illius fuerit? A quo cum nihil clari extorquere possent; tandem nomine Statuum hæc illi dixit: Status Evangelicos illum cognoscere pro eo, qui contra jura & comititia Regni, contra mandatum Imperatoris, principalis author sit ad perturbandam publicam tranquillitatem; atq; ita inimicus Regni de quo status suo tempore sint conquesturi. Eademq; die, impetrat à Casare audienciã, Status Evangelici, per suos delectos, loquente Domino Comite Schlikio, conquesti sunt de ijs, qui Casari resolutionem illam suaserint; cum solenni protestatione; si Sua Maj. magis inquieta & turbulenta ingenia quàm comititia Regni & mādātā sua à Statibus Regni comprobata que illi annullare tentent, respicere, & se ab his regi passa fuerit: Status Regni, cū ob Cesaris bonū, tū ob publicā tranquillitatem, inter se defensionem legitimā erecturos.

XV. Jus

ti,
 &
 qu
 ti
 lesia
 sup
 nom
 ra l
 Boh
 bus
 Dn.
 flex
 Stat
 ferè
 lega
 dem
 lut
 rim
 erg
 rum
 tent
 suo
 R
 nè r
 stan
 ró a
 cipe
 hoc
 vea
 mas
 R



XV. Junij, ex consensu Statuum Evangelicorum, universa communitati, maximo numero congregata, omnia illa, quae 13. Junij Romano-Catholicis & supremo Cancellario proposita fuerint, & quid responsi illi, illeg., dederint, quidq; apud Caesarem actum sit, per Dominum à Budowa fuerunt prolixè repetita. Eàdem diem Pragam advenère Legati Principum & Statuum Silesiae. XVI. eiusdem Mensis, gravis querela à Statibus Evangelicis, contra supremos Regni officiales Romano-Catholicos, per Dominum à Budowa, nomine Statuum & delectorum illorum, in Cancellariâ facta; quòd contra Iura Regni patiantur res Bohemicas, & praesertim tam arduas, extra consilium Bohemicum, exteris nationibus deliberanda proponere.

XVII. Junij, antequam Legati Principum & Statuum Silesiae, à Statibus Evangelicis in publicis comitijs auditi fuissent, exhortatio ad preces per Dn. à Budowa, uti quotidie fieri consuevit, facta est, atq; ita omnes genibus flexis tacite oraverunt. Deinde auditi Legati fuere, & litera per hos à Statibus & Principibus Silesiae exhibita, perorante Domino Doctore Andreà ferè per integram horam: nempe, Principes & Status Silesiae, cognitis per legatos Statuum Bohemicorum justis gravaminibus, cum suis quoq; ad eosdem & ad publica Regni comitia, suos Legatos misisse; siquidem & illi resolutionem à Caesare, multis cum conditionibus, atq; ita totam dubiam, acceperint. Hinc factum, quòd Episcopus Vratislaviensis, Archidux Carolus, erga omnes jurisdictioni suae addictos sese declaraverit; se neminem passurum, nisi qui sit suae Religionis; (id quod haecenus per nullum Imperatorem tentatum fuit) urgeriq; Evangelicos à Romano-Catholicis, ut ex possessorio suo Templorum, Parochiarum & Scholarum, cedant, siquidem illa omnia à Romano-Catholicis fundata, & illis contra jura erepta sint. Quarum sane rerum, & accusatores, & iudices, Romano-Catholici esse volunt; non obstante Imperiali decisione, ut omnes in possessorio permaneant, petitorium vero ad generale orbis Christiani concilium differatur. Petere itaque Principes & Status Silesiacos, ut ordines Regni Bohemiae cum illis conjunctim, hoc sanctum Religionis opus, & ardentè & constanter apud S. C. M. promoveant; quòd non dubias resolutiones, uti haecenus factum, sed dilucidas & firmas, consequantur. Quòd nisi factum fuerit, metuendum esse, ne inquieti Romano-Catholici, exemplo contra Oppavienses demonstrato, ulterius via

rus suum, viresq; suas sint contra omnes Evangelicos tentaturi. Vnde mature huic malo preveniendum & occurrendum. Ad hac, prolixum responsum, magna cum gratiarum actione, per Dn. Comitem Schlikium, linguâ germanicâ datum, & delecti ex Statibus quidam, ad responsum scriptum Principibus & Statibus Silesiacis dandum.

Postquam Legati Silesiorum à comitijs egressi essent, venit in publica comitia, in locum eminentiorem cathedrae, Casparus Felix, Monachus Franciscanus, & eiusdem ordinis apud Novo-Pragenses supremus procurator: pro quo Nobilis vir, Dn. Joachimus à Teckenitz, linguâ veraculâ peroravit: Eum, pralucente & ducente gratiâ divinâ, ad seriam verbi Dei lectionem & meditationem, cum assiduâ ardentiq; precatione accessisse & cognovisse, in quibus erroribus & in norantiâ salutis suae haeserit, lectâq; confessione Bohemicâ Statuum Evangelicorum, se eam amplecti pro eâ, quae cum verbo Dei consentiat: Merito itaq; non ex desperatione, sed ex spe vivâ in Christum: non lucri terrestri, sed caelestis vitae gratiâ, ordinem illum monasticum & papalem doctrinam deseruisse: Idem fecisse, pia memoria magna illa organa Dei, D. Martinum Lutherum, Calvinum & Bezam: petereq; Status Regni Evangelicos, ut eum in tutelam suam accipiant. Cui à Statibus, per Dominum à Budowa, responsum: Status Evangelicos letari, quod Deus, veluti liberimum agens, in vineam suam vocet operarios, etiam ultimi horis, & aequale pretium misericordiae suae, ex bene placito suo in Christo, per & propter Christum, gratis illis proponat, idq; omnibus seculis visum, etiam tempore Eliae, ipso Prophetâ ignorante de ijs, quos sibi Deus ad verum suum cultum reservaverit. Sic ab Ezechiele in visione conspectos Hierosolyma, ingemiscientes super omnibus illius urbis abominationibus: quos ideo Deus signo suo, id est, arrhabone Spiritus sancti sui, notavit. Hoc ergo quia etiam huic Casparo Felici contigerit, eum verè felicem, imo felicissimum esse. Quae tamen dona Dei, sedulâ verbi Dei lectione, ardenti oratione, vitae sanctimoniam & pijs ad populum concionibus, excitanda sint: & pro sanctâ constantiâ & perseverantiâ Deum assiduè exorandum. Status quoq; Regni eum, Casparum Felicem, in suam tutelam suscipere.

Hoc peracto, sacerdotes Pragenses, qui Confessionem Bohemicam amplexi sunt, & Academia Pragensis Caroli 4. & Senatus cum populo urbium Pragen-

Pragensium proposuerunt Decreta, nomine Caesaris à supremo Cancellario Popelio scripta, quibus cum gravi comminatione & poenâ omnibus injunctum, ut sequenti die qui est dies festus Corporis Christi, cum processione eant, genuaq; coram Monstrantiâ flectant. Quibus cognitis, Status Evangelici quotquot in Cancellariam ingredi poterant magno fervore & Zelo accensi, per Dn. à Budowa, principio a supremis Regni officialibus Romano-Catholicis quaesierunt, an ipsorum consensu & voluntate talia decreta prodierint: cumquæ illi negâssent: quaesitum à Cancellario, cur ea scribere jussisset, & cur subscripsisset: qui respondit, sibi à Caesare fuisse injunctum. Ad quæ Dn. à Budowa, inquiebat, non esse verisimile, Caesari, tam magnis rebus nunc occupato in mentem hæc venisse, sed per Cancellarium promanasse. Cum ergo talia decreta sint contra jura Regni, contra comitia anni elapsi, contra mandata Imperatoris 20. Maji publicata: etiâ si ipse Imperator, suâsu aliorum talia decreta ex ignorantia scribere jussisset, officij supremi Cancellarij fuisse, Imperatorem mone, ne contrarium prioribus suis resolutionibus promulgaret. Jam verò quia factum, culpam omnem non Imperatori, sed soli Cancellario adscribendam: Hinc illum ipsum precipuum perturbatorem omnis publicæ tranquillitatis, & quietæ gubernationis Cæsareæ Majestatis esse: nec teneri sacerdotes civesq; Pragenses, huic decreto obedire, sicut nec obedaturi sint. Ac, cum Cancellarius in hæc verba prorupisset, Neminem id ipsum in veritate demonstraturum, se esse pacis publicæ perturbatorem: responsum illi fuit per Dn. à Budowa, presentes Evangelicos Status id ipsum majori numero in publicis comitijs relatueros, & Cancellarium responsum habiturum, quod & paulo post factum. Nam cum supremi officiales Regni Romano-Catholici, & Cancellarius supremus quoque, ad comitia advocati essent: ibi prolixa oratione, per Dn. à Budowa habitâ, demonstrabatur, Status Evangelicos verba veracissima de supremo Cancellario Popelio locutos, & illum esse inimicum, non modo omnium Evangelicorum, sed omnis publicæ tranquillitatis. Hinc adjecta est solennis protestatio: siquidem inquieta ingenia non desinant, palam & clam omnia mala contra Evangelicos, & universum Regnum Boemia moliri, Status Evangelicos, si nulla resolutio à Cesare ad terminatum diem prodierit, erecta legitimâ defensione, in bonum Caesaris, & Regni hujus & omnium incolarum, vigilaturos.

Deinde

Deinde à Statibus Regni hinc inde dictum fuit, 'supremum Bavaria principis Cancellarium hic Traga sepè cum supremo Cancellario Popelio convenisse, hacquè die iterum in Bavariam (uti fama spargitur, ad conducendum militem contra Bohemos) discessisse, cum magnis sollicitationibus subsecutorum auxiliorum, quæ Pontifex et Hispanus, Episcopus Sal-burgensis, & Archidux Ferdinandus Styria essent brevi daturi. Deinde à multis lecta copia literarum, quas illustrissimus Dominus, Dominus Henricus Matthias Comes à Thurn, magnus heros rei militaris peritissimus, & ad summa quæque natus, ad Cæsarem dederat: in quibus Suam Majestatem, veluti fidelis subditus, fideliter petit & monet ut S. Cæs. Maj. memor eorum quæ ante motus Potzkaïnos eidem suaserit, obtemperet salutaribus monitis, & confirmet comitia anni elapsi, & mandata sua hoc anno publicata. quod nisi factum fuerit, se non esse sufficientem prognosticum, qui illa mala prædicere possit, quæ inde secutura essent. Quæ sanè literæ, uti certissimè constat, ab ipso Imperatore diligenter perlectæ sunt. Faxit æternus Deus, ut Cæs. Maj. tot salutaribus monitis, veluti ex oraculis divinis prodeuntibus, & tot oculatis documentis obtemperet, ne dehinc & se & suos in exitium, cui deinde mederi non possit (quod Deus clementer avertat) perducatur.

XIIJ Junij, qui fuit dies festus Pontificiorum Corporis Christi, Sacerdotes Pragenses, olim Consistorio, quod ab Archiepiscopo Pragensi dependebat, addicti, licet (ut supra dictum est) magnis cum comminationibus, cum per decreta nomine Cæsaris publicata, tum ore tenus per Cancellarium, illis injunctum fuerit, ut cum processione deambularent: moniti tamen in præsentia ipsius Cancellarij à Statibus Evangelicis, intermissâ processione, conciones eâ ipsâ die ad populum faciebant: demonstrantes, quàm horrenda quàm abominabilis res sit, cultum exhibere ei rei, quæ Deus non est. Siquidem Deus per se juravit, quòd in nomine solius ipsius omne flectetur genu. Hæc inchoata Sacerdotum Pragensium reformatio, dici non potest, quanto perè stomachum multis Romano-Catholicis moverit. Deus inceptum

opus suum, ad gloriam nominis divini
sui, & multorum salutem,
continuet!



*Q*uod *Cæsareæ Majestati, Domino nostro clementissimo, exortis nuper in curiâ Novo-Pragensi turbis, ea retulisti, quæ inter nos ad bonum Cæs. Majestatis, veluti uncti illius Dei, contulimus; tibi non modò meo sed & omnium ordinum nomine, summas ago gratias. Interest enim summopere sacre Cæs. Maj. sicuti nosse, unde pericula, quibus de causis, & per quos, Suae Cæs. Maj. & Regno huic Bohemix immineant; sic, quomodo his, quibus medijs, & per quos, mederi possit. Recordaris me tibi dixisse; quòd nonnulli, sub prætextu immoderati, inconsiderati Zeli stabiliendæ erga Romanum Pontificem absolute potentie, ad res aliorum & suas magis, quàm ad Imperatoris, promovendas, proni sint: ut, debilitatis viribus politici Magistratus, eidem Magistratui suo per sacerdotes magis imperent, quàm illi pareant. Verùm hæc perversa consilia qualem exitum elapsis annis habuerint; luculenti testes sunt, Ungaria, Austria, & Moravia. Unde hoc? quia invidebant Suae Cæs. Majestati, tot illustres contra Turcas victorias, tam remotas splendidissimas Legationes; quibus utrisq; Suae Majestas ipsum Carolum V. bellicosissimum illum Imperatorem, superavit. Recordaris etiam me tunc dixisse; nisi Cancellaria Cæsaris à quibusdam, Cæsare inscio, in Consistorium quodammodo conversa fuisset, promulgandis contra Evangelicos assiduis Mandatis; Suam Maiestatem (humanitus loquend) jam pridem sedem suam Constantinopoli collocare potuisset. Verùm cum perverfi illi Zelotæ, sub prætextu Turcici belli, abusi armis Imperatoris, Evangelicos, quos illi hereticos vocant, extirpare decreverint; concidit quoq; Zelus militum Evangelicorum, in propagando Suae Majestatis Imperio. Hinc omnium animi alienati; hinc collapsæ victoria, hinc Regna & provinciæ amissæ, hinc authoritas Cæsaris minuta. His non obstantibus, non desinunt mali isti consiliarij, quicumq; illi sint, eâdem viâ in hoc Regno Bohemix ingredi. Quibus si obtemperaretur; quid aliud esset, quàm quòd Suae Cæs. Maj. illis & eorum fautoribus, & non sibi Regnoq; suo, consuleret? Ad esto illud firmum axioma; Neminem Imperatorum, prout nunc Respub. Christiana constituta est, posse Augustum & dilatatorem Imperij esse, nisi qui libertatem Religionis concesserit.*

rit. *Econtra, neminem magis de imperio augendo, ne dicam conservando, periclitari, quam qui idipsum renuerit. Sed accedo ad res nostras Bohemicas; quæ sicut omnium animos exhilararunt, promulgato illo Cesaris Mando dato 16. Maij: sic omnium animi concidere, illa Cesaris resolutione, 5. Junij in commitijs arcis Pragensis publicè lecta. Etenim Cesaris Mandatum fidelissimè & constantissimè promittit, Suam Caf. Majestatem omnibus ijs, qui Bohemica confessioni, Caf. Majestati exhibita, addicti sunt, provisuram, ut Religionem suam liberè, omnes tres Status hujus Regni absq; impedimento ullius hominis, vel secularis, vel spiritualis, exercere queant. Resolutio autem 5. Junij promittit, Religionem sub utraq; passuram, prout Cesaris Maximiliani tempore fuerit. At quæ, quæso, hæc concessio? cùm in omnibus responsis, inquieti consiliarij, Cesaris nomine, jam pridem idipsum declararint, solis illis sub utraq; quorum Sacerdotes ab Archiepiscopo ordinantur, Jura Regni & Juramentum Regis inservire, id quod neq; ex constitutionibus Regni, neq; ex Juramento Imperatoris, demonstraturi sunt: adeò ut pudere ipsos deberet in aeternum, prolati tanti coram Deo & Imperatore mendacij. Ex quibus ergo fundamentis boni isti viri perpetuò Caf. Maj. insurrant, Suam Majestatem postulata Statuum, contra præstitum suum juramentum, concedere non posse: cùm ne jota quidem Religionis illius sub utraq; qualis esse debeat, extet. Accùm antea semper clamitaverint, Juramentum Cesaris extendi ad Hussiticam Religionem: nunc ex ipsis Tomis Pontificijs Constantiensis Concilij cognita doctrina Husi, quæ cum orthodoxissima religione Evangelica, & per consequens cum confessione nostra Bohemica quoque, consentit: (uti hic tibi articulos illos Hussitica doctrina, in fine hujus pagellæ impressos, mitto) jam ne nomen quidem audire Hussitica Religionis volunt: unicum hoc saltem experentes, ut nobis præscribant Religionem sub utraq; prout ipsi volunt, Hoc, hoc si concederet illis Imperator, esset contra Juramentum ipsius, & contra jura Regni. Qui in libertate Religionis, tam Catholicis, quam Evangelicis concedendâ, nullum discrimen faciunt, nubi aliqua jura præscribunt, nullum alteri imperare obligant: sed ut qualibet religio liberè libera sua Religione utatur. Quod si ita est sicuti certum esse certè Statuito, quod S. Caf. Maj. concedendo Libertatem Religionis Imperio, conscientiam suam non læsit, & Imperium*

riur
quæ
vij:
hoc
amo
et at
Reli
& l
sibi
ge s
rum
tur
inst
ta, m
miti
ame
tum
ipsu
suis
nosce
fidei
tand
Mai
adju
affec
Reg
pian
est, q
bonu
mal
ritat
med
Prag

rium pacatum conservavit, quomodo in concedendâ Bohemis Religione,
 quâ tot annis liberè usi sunt; conscientiam laedet suam? Sed ajunt adversa-
 rij: Vtantur sanè Bohemi, modo ne assecuret Imperator. Ah quàm malum
 hoc consilium! simultates inter Magistratus & subditos alere velle, ex quo
 amor & obedientia subditorum erga Magistratû, & Magistratus quoq; amor
 et authoritas erga subditos, concidüt. Taceo innumera decreta, quæ ob id, quòd
 Religio assecurata non est, sæpè ex Cancellariâ Bohemicâ procedunt, legibus
 & libertatibus Regni in negotio Religionis penitus contraria. Hinc quisq;
 sibi vigilare studet; hinc inopinatam aliquam mutationem subditi à Re-
 ge sibi imminentem, & Rex à subditis, metuit: sic ut in æternum, ex falso
 rumore exorto, dum nullus alteri fidit, Regna & provinciæ insignem patian-
 tur mutationem. His ut mederi possit: tu, mi Domine, quantum in te est,
 instilla Cesari, ut mandata, à se per universum Regnum 16. Maij publica-
 ta, manu suâ subscripta, & sigillo suo sigillata, etiam Statibus in publicis co-
 mitijs comprobet. Siquidem resolutio illa Cesaris 5. Junij publicata, ex di-
 a metro Mandatis illis contraria est: & dici imò nullis exprimi potest, quan-
 tum omnium animos offenderit. Quòd si inquieti nonnulli consiliarij id-
 ipsum suadere Imperatori recusaverint: certo certius credito, illos sibi &
 suis fautoribus, & non Imperatori, consulere velle. Ac ut Sua Maj, cog-
 noscat me, veluti unum ex minimis illis Ces: Majestatis antiquis Aula servis
 fidelissimum subditum, sua serim ingenuè & sincerè, à Suâ Maiestate depu-
 tandum el selectum numerum hominum moderatorum, tum ex secretioribus S.
 Maiestatis, tum ex Aulicis consiliarijs, tum ex Bohemicis quoq; officialibus,
 adjunctis illis quoq; moderatis Evangelicorum ingenijs: ut illi, seposito omni
 affectu, in illo Religionis negotio, ea quæ cum bono Sua Majestatis & huius
 Regni esse queant, inter se conferant, tractent: non tamen concludendo quip-
 piam; sed utriq; parti, ad ratificandum referendo. Quod si fiet, non dubium
 est, quin sua Maiestatimulta innotescant, quæ nonnulli in hoc ipso consilio ad
 bonum sua Maiestatis sint prolaturi; & detecturi causas, per quas hæc lenus
 male gubernatum: & quomodo huic malo, summâ cum Imperatoris autho-
 ritate, & eternâ apud posteritatem laude, atq; tranquillâ gubernatione re-
 medium adhiberi possit. Vale, & me tui amantissimum redama. Data
 Praga, 7. Junij, Anno Christi 1609.

AKT 2355

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

1077

23

42





N
S

nos
Cat
mun
atq
Ev
ijde
lère
vici
pie
E
ab
pite
Cæ
tiam
dote
onen
ut po
repe
pera

